



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Stella Benedictina Sive Regula Sanctissimi Patris Nostri
Benedicti**

Meyenschein, Benedikt

Hildesii, 1725

VD18 10311831

Præfatio

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65028)

PRÆFATIO

Quod sanctissimum Legislatorem nostrum cap. 66. permovit, vellet ut sancitam à se Regulam sæpius in Congregatione legi; idem & mihi, cum in liberâ & Imperiali Abbatia Corbejensi Magisterii munus aggrederer, incitamento fuit, ut brevi hoc Commentario eandem conarer illustrare: Nequis videlicet Fratrum de ignorantia se excuset. Nimirum & frustra legitur, quod non intelligitur, & periculosè admodum voveatur Conversio morum atque obedientia secundum Regulam S. P. N. BENEDICTI, nisi latens in verbis Regulæ sensus ac significatio pernoscat. Novi equidem ac pernovi, plures jamdudum in Regulam hanc nostram prodiisse Commentarios; Sed hi terrent prolixitate, illi confundunt obscuritate & inordinatione; plerique sat multa Tyronibus cum primis

primis utilia, nè dicam necessaria,
passim prætereunt. His omnibus
igitur malis utcunque occursurus, po-
sui initio partem Regulae secundum
distributionem Bursfeldensem, signa-
tis hîc & illic syllabarum quantitati-
bus, in quibus Tyrones nonnullos
hallucinari animadverti. Subjeci
continuo brevem quandam tum sen-
suum, tum etiam verborum expla-
nationem pro rudiorum captu, quam-
vis fortè ad nauseam doctiorum; no-
tans insimul contra Mastiges quos-
dam legitimam ubique citationem,
cum probâ satis atque adeo elegante
passim latinitate: nec minus appa-
rentes in Sacra Regula antilogias
aut depellens, aut concilians. Inse-
rui etiam, præsertim cap. 4. 5. 7. 33.
& 58. quantum judicavi satis, de ma-
teriâ obligationis Religiosæ. Adjeci
denique in fine, singulorum Capitum
indicem pariter ac synopsis Leoni-
nam ad excitandam firmandamque
junio.

juniorum memoriam; brevitati per
omnia studens ac perspicuæ claritati.
Quâ in re siquid vel à rei veritate,
vel à mente Sanctissimi Patris nostri
alienum irrepserit, censoris unguem
non modò non refugio, sed & im-
pensè requiro. Siquid autem vel
utilitatis vel commoditatis hac ope-
râ meâ præstitisse videor, mercedis
loco pium aliquod pro me pec-
catore ad Deum suspirium
exspecto expetoque

F. B. M.

APPRO-